

2. D. B.
DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,
DE
ÆTERNA REDEMPTIONIS
OECONOMIA,
Ex I. Pet. I. 18. 19. 20.

Quam
Sub PRÆSIDIO
RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI,
*VIRI Plurimum Reverendi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimiq,*

DN. JO. DEUTSCHMANNI,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. longè ce-
leberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori
gravissimi,

*Dn. Patroni, Fautoris, & Præceptoris
sui, omni honoris cultu prosequendi,*

publice defendet

RESPONDENS

L U C A S X Ö M E X /

Veidenbachiô - Transylvan.

AA. LL. Cultor,

In Auditorio Majori,

Horis matutinis,

Mo. MDC LXXXIX. d. 29. Febr. 25.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

~~St. 51.~~

b. XV. 45.

24. A. 161 (45)

Coll. diss. A
161, 45

DISSENTATIO THEOLOGICA
DE
AETERNA REDEMPTIONIS
OECONOMIA

ANNO 1820

Gym.
sub PRAESIDIO

LECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICI

DR. JO. DEITZSCHMANNI.

SS. THEOLOGICAE FACULTATIS
PRAESES



DR. P. ...
PRAECEPTORIS

IN ...

IN ...

...

...

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,
DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OE-
CONOMIA,

EX I. PETR. I. v. 18. 19. 20.

TExtus Græcus: Εἰδότες, ὅτι ὑμεῖς Φαρισαῖς, ἀργυρίῳ, ἢ χρυσίῳ, ἐλυθράθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς περὶ τροπαρῶν: ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι, ὡς ἀμνῶ ἀμώμῳ, καὶ ἀπίλῳ χριστῷ. προσεγνωσμένοι μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου, φανερωθέντες δὲ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων δι' ὑμᾶς. Latinus Vulgatus: *Scientes, quod non corruptibilibus, auro, vel argento redempti estis, de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed precioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi, præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus, propter vos.* B. Lutheri Versio Germanica: *Wisset / daß ihr nicht mit vergänglichlichen Silber / oder Gold erlöset seyd / von euern eiteln Wandel nach Väterlicher Weise / sondern mit dem theuren Blut Christi / als eines unschuldigen und unbesleckten Lammes / der zwar zuvor versehen ist / ehe der Welt Grund geleget ward / aber offenbahret zu den letzten Zeiten / umb eurent willen.*

1. *Exposita divinæ Commiserationis aterna Oeconomia, nondum subsistere licet, sed pergendum ad Æternam Redemptionis Oeconomiam, (1) quia sicut prior respicit Patrem, ejusque paternam misericordiam, sic posterior ad Filij vel benevolentiam, vel eusepsia meritoriam refertur. (2) quia nulla datur extra Christum, ejusque meritum, Dei misericordia, sed hæc in merito Christi fundatur. Eph. II. 4. 5. quia sumus in dilecto dilecti, cap. I. 6. & sic Deus mandum dilexit, ut Filium suum unigenitum ei daret. Job. III. 16. Conf. Matt. III. 17. (3) quia non est in alio quoquam nomine salus, vel*

Δ decre-

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA,

decretum, vel unquam data, quam in nomine Jesu, Act. IV. 12. Conf. Act. XV. 11. (4) quia Jesus Christus est mediator Dei, & hominum, qui dedit semetipsum λύτρον pro nobis omnibus. I. Tim. II. 5. 6.

2. Hanc Æternam Redemptionis Oeconomiam universa nobis offert *Scriptura*, cum primis autem nos eandem ex *Oraculo Petri* no, I. Epist. 1. 18. 19. 20. quod satis emphaticum, modo scrutabimur. In hoc *Oraculo* nobis exhibetur, I. Æternæ Redemptionis Oeconomias *Existentiæ*. II. Oeconomias Redemptionis Æternæ *Ratio propria, vel Essentia*. III. Æternæ Redemptionis Oeconomias *Eminentia*, de quibus ordine juxta textum agemus.

3. *Existentiæ* quod attinet, nos operosius *generalem Redemptionis Oeconomiam*, eamque *æternam* demonstrare possemus, sed modo brevitate ex studio pauca saltem adducimus, (1) quia statim in principio *Semen mulieris contritionem*, pro lapsu genere humano passum, protoplastis secundum *æternum decretum*, promissum. (2) quia *Jesus Christus idem est heri, vel ante mundum, hodie, vel in mundo, idem, & in secula*, post mundum, Heb. XIII. 8. (3) quia *Pontius Pilatus, & Herodes, cum Judæis*, in redemptoria passione fecerunt *adversus Jesum, quæ Dei manus & consilium*, (ab æterno vid.) *decreverunt fieri*, Act. IV. 27. 28. (4) quia secundum *Onomastologiam Messia*, Esa. IX. 6. *Pater æternus*, cum *Principe pacis* conjungitur, & utrumque nomen à *Consiliario* præcedente deducitur: *Dei Filius* autem *æternus, & Consiliarius, & Oeconomus* est, (5) quia *Electi sumus in Christo ante tempora secularia*. Eph. I. 4. (6) quia *predestinavit nos Deus in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, v. 5. quod propositum* citra dubium est *æternum* (6) quia *Paulus* judicavit, I. Cor. II. 2. *se scire nihil, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, & de hac* sive *scientia, sive sapientia*, mox subjungit, v. 7. quod *abscondita sit in mysterio, quam predestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, &c.*

4. *Specialem* etiam *Existentiæ* hujus Oeconomias probationem, ex textu deducimus, & quidem, (α) quod h'c agatur de *Christi Salvatoris Oeconomia redemptionis* (1) ex *diserta notatione*, quia *diserte redemptionis* fit mentio; (2) ex *manifesta redemptionis relatione*, quia dicitur *Christi redemptio*. (3) ex *operosa redemptionis introductione*

introductione, quæ satis aperte demonstrat, quod hic ex professo de Christi redemptione Petrus agat, quia testatur, quod non corruptibilibus, auro, vel argento, redempti simus, sed precioso sanguine potius agni immaculati, & incontaminati Christi. (4) ex redemptorum consideratione, quia sumus vere, vel actu **REDEMTI**, sicut Petrus attestatur. (5) ex redemptoris & redemptionis manifestatione. &c.

5. (β) Quod hic agatur de *Æterna Redemptionis Oeconomia*, probatur (1) ex divina præcognitione, quæ citra dubium respicit ad *æternam Oeconomiam*, inprimis redemptionis, de qua hic sermo. (2) ex antefeculari conditione, quia dicitur hæc præcognitio facta non in tempore, sed ante mundi constitutionem, *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, quæ phraseologia ter in N. T. reperitur, ut h. l. Joh. XVII. 20. Eph. I. 4. & semper de eternitate, à priori, vel antemundi constitutionem accipitur, & elegantem gradationem, vel adequatam nostræ reparationis, vel salutis descriptionem complectitur, dum locus primus, ipsum principium salutis exponit, nimirum *æternam Patris dilectionem*, vid. in Christo, tanquam salutis nostræ principium: hic enim Christus in Oratione *πρὸς πατέρα*, Joh. XVII. 24. inquit: Pater, quos didisti mihi, volo, ut, ubi Ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia **DILEXISTI** me, *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, ante constitutionem mundi: loquitur autem de dilectione non *κατ' ἑσῶν*, ratione sui, sed *κατ' ἕξω*, ratione nostri, sicut totus contextus, Christi scopus, & alia, luculenter indicant: Locus medius, Eph. I. 4. sistit Patris Electionem, quoad salutis nostræ beneficium, quod nos elegerit in Christo, *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, ante mundi constitutionem. Tertius, & præfens locus sistit ipsam redemptoris Christi præcognitionem, adeoque nostræ redemptionis, & salutis artificium, vel meritum, quod Christus sit agnus immaculatus, & incontaminatus, à Patre præcognitus, ut nos suo precioso sanguine redimeret. (3) ex corruptibilitatis remotione, quia corruptibilia remouentur hic, adeoque sic consequenter ad æterna respectus habetur, quæ, sicut sunt æterni valoris, sic etiam sunt æternæ constitutionis. (4) ex preciosi sanguinis introductione: licet enim aurum & argentum apud homines preciosissima non tantum, sed etiam durabilissima.

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA,

bilissima sunt *metalla*, tamen in *æterno Dei decreto*, vel etiam *æterna redemptionis Oeconomia* coram Deo, nihil valebant sed potius *sanguis preciosissimus Filii Dei*, qui *valoris æterni*, requirebatur, dum *non per sanguinem hircorum, ac vitulorum, sed per proprium sanguinem semel in sanctum sanctorum ingredi constituerat, æterna redemptione inventa. Heb. IX. 12. (4) ex corruptibilium & incorruptibilium oppositione, quia rerum corruptibilium Oeconomia, & Oeconomia rerum incorruptibilium, hic opponuntur: jam ut corruptibilium rerum œconomia temporalis est, ita rerum incorruptibilium Oeconomia jure diciter æterna.*

6. Accedimus jam ad *Rationem propriam*, hujus *Oeconomias æternæ Redemptionis*, quæ *duplici potissimum respectu nobis exhibetur*, (I) *Quoad Oeconomicum fructum, vel usum*, vid. ad quem *fructum, vel usum* tendat hæc *Oeconomia*. (II) *Quoad Oeconomicum Actum, vel Statum*, in quo potissimum consistat; *prior* introducitur *ratione Nostri, posterior ratione Dei, prior κατ' ἐξω, vel à posteriori, posterior κατ' ἔσω, vel à priori* producitur; *prior* est *usualis, posterior causalis*; *prior* apparatus quendam sistit, sed *posterior* totam naturam involvit.

7. *Ufus Oeconomicus* primum nobis exhibetur, per *εἰδότες, Scientes*, (1) *quia propter nos, & nostram salutem*, omnia partim à *Prophetis*, partim ab *Apostolis* scripta sunt. II. Tim. III. 15. 16. (2) *quia hæc Oeconomia vere Theologica, vereque Practica* dicitur, sicut alias *omnis Oeconomia vera potissimum πρᾶξι & χηρῶν* respicit. (3) *quia, juxta totum contextum, omnia tum antecedentia, tum Oraculum constituentia, tum consequentia verba, nos homines, imprimis vere fideles, respiciunt, sicut apertis hic Petrus verbis, nim. immediate sequentibus, innuit, v. 21. qui per ipsum fideles estis. &c. Id ipsum etiam indicant oraculi verba: (a) Scientes, scil. Vos (b) redempti, scil. Vos estis (c) de vana vestra conversatione. &c.*

8. *Vox autem Scientes* momentosæ significationis est, cum primis *quoad hanc redemptionis Oeconomiam: nos breviter observamus in eadem Oeconomicam Scientiam, vel etiam prudentiam, juxta phrasologiam Biblicam enim hæc non adeo distinguuntur, ideo*

ideo

ideo cernimus hic, (1) *Oeconomica scientia quidditatem*, quod non sit *Scientia Philosophica*, sed *Theologica*, non *speculativa*, sed *operativa*, non *naturæ*, sed *scripturæ*, non *humani vel animi*, vel *ingenii*, sed *veræ fidei*. &c. Nam *Scientia*, *Notitia*, *cognitio*, &c. sæpius pro *fide salvifica* supponuntur *Esā. LIII. II. Jer. IX. 23. Job. XVII. 3. &c.* cum verba *notitiæ*, sint apud *Hebræos & sensuum*, & *affectuum*, & *effectuum*, sicut passim videre licet: sic etiam h.l. *sensu*, tum *auditus*, in *concionibus*, tum *visus*, in *scripturæ lectionibus* cognoscere, mox *intellectu* concipere, vel percipere, *assensu* firmiter prehendere, *affectus* semper diligere, *fiduciali effectum* semper possidere debent Christiani fideles, tanquam *Oeconomici prudentes* hanc æternam *redemptionis Oeconomiam*. Quæ singula multa docere, & monere possunt.

9. (2) *Oeconomica scientia quantitatem*, quam pariter ostendit, (1) *quantitas numeri*, quia loquitur *Petrus* in *plurali numero*, *εἰδότες*, (2) *quantitas indefiniti subjecti*, dum *omnes homines*, in primis *omnes fideles* hujus *æconomica scientiæ studiosi* debent esse. (3) *quantitas indefiniti objecti*, dum nullum in hoc commate *speciale* notat *objectum*, ut *omnis redemptionis*, & *salutis objectum*, vel etiam *totam Oeconomiam redemptionis* includat. (4) *quantitas temporis indefiniti*, dum loquitur in *æristo*, *εἰδότες*, & ad omnia *tempora* scientiam hanc *ἀόριστος* extendit, quod omnibus *temporis Oeconomica scientiæ fideles* studere, nunquam eam animo, vel etiam memoria deserere, vel negligere debeant. Absente *fide*, vel *Oeconomica scientia redemptionis*, & *salutis*, deficit *redemptio*, vel *salus* ipsa, quia *Heb. XI. 6. absq; fide* prorsus *impossibile*, placere *Deo*. (5) *quantitas indefinit loci*, quia *Petrus* requirit, ut *omnibus in locis* hujus *Oeconomica scientiæ studium fideles* exercent.

10. (3) *Oeconomica scientia qualitatem*, qua ratione notamus, (1) *scientiæ veritatem*, quia non *falsa*, sed *vera*, sub scientiam cadunt: sic etiam verissimam hanc *Oeconomiam redemptionis fideles* scire tenentur. (2) *scientiæ certitudinem*, quia *scientia* non est *dubiorum*, sed *certorum*; sic etiam *æconomiam redemptionis certissima* scientia quilibet cognoscat. (3) *Oeconomica scientia firmitatem*, quia *fides* est *ἰσχυροῦς*, *Heb. XI. 1.* & nititur verbo firmissimo, *II.*

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA.

Pet. I. 19. & hinc fideles firmiter credunt *Oeconomiam Redemptionis*.
 (4) *Oeconomica scientia necessitatem*, quia sicut *scientia necessariis*
 nititur, & utitur, argumentis; ita pariter hæc *Oeconomica scien-*
tia redemptionis necessariis nititur, & utitur, *fundamentis*, *divinis*
nim. Oraculis.

11. Post *Redemptionis Oeconomias preparationem*, ejus *Natu-*
ram, & *Constitutionem* ingrediamur, & ordine *Causas* persequimur,
 dum *Causalis Particula*, posita simpliciter, immediato posita
 nobis ostenditur, & per hæc meditatio præsens in *causarum Theo-*
rian introducitur, hinc notamus I. *Causam Efficientem*, quod non
corruptibilibus auro, vel *argento*, sed *precioso Christi sanguine re-*
demti sumus. II. *Causam Materialem*, de *vana conversatione paterna*
inuditionis. III. *Causam formalem*, quod sit ante mundi *Constitu-*
tionem præcognita. IV. *Causam Finale*, ut *novissimis temporibus*
propter nos manifestaretur.

12. *Efficiens Causa* hujus *æterna redemptionis Oeconomias*, par-
 tim *explicite*, partim *implicite* nobis indicatur: *explicite*, quia di-
 lecta sit *mentio Christi*, *nim. Redemptoris*, vel *redimentis*: *implicite*,
tum per verbum *Redemti estis*, v. 18. quod *active Redimentem* in-
 cludit, cum *passio* necessario prærequirat *actionem*, & *patiens agen-*
tem; *tum* per verbum *præcogniti*, v. 20. quia *præcognitum* pariter
præcognoscentem prærequirit; *tum* per verbum *Manifestati*, v. 20.
 quod itidem *manifestantem* præsupponit: Et non observationem
 nullam affert, quod hæc *tria verba*, secundum *implicitum statum*
activa, respiciant accurate *tres personas SS. Trinitatis*, & nobis in
Redemti offerunt, tum *Filium Redimentem*, tanquam *Causam Ef-*
ficientem; tum *Patrem Præcognoscentem* quoad *Oeconomias redem-*
toria mysteria: tum *Spiritum Sanctum manifestantem* in verbo re-
 velationis. Et hæc observatio præsentium *versiculorum*, quoad
Causam Efficientem accuratam relationem ad *initium Capitis* im-
 portat, quando v. 2. *Paulus* inquit: (a) *Secundum præscientiam*
Dei Patris (b) *in sanctificatione Spiritus*, (c) *in obedientia*, & *ad-*
spersione sanguinis Jesu Christi: Nam (a) secundum *Præscientiam*
Pater hoc loco *redemptionis Oeconomiam* ab *æterno præcognoscit*,

ut vere sit *præcognitum* in Christo *Mysterium*. v. 2. 20. (β) In *sanctificatione Spiritus Sanctus* eam pro dispensatione libera, *temporibus omnibus*, maxime *novissimis* manifestat, v. 2. 20. (γ) in *obedientia*, & *aspersione sanguinis*, *Iesus Christus*, non *auro*, vel *argenteo*, *corruptibilibus metallis*, sed *suo precioso sanguine*, tanquam *agnus immaculatus*, & *incontaminatus*, *meritoriam redemptionem* præstat. O *notabilissimam*, & *elegantissimam Harmoniam!*

13. Ex his igitur dicimus, quod *Efficiens Causa* hujus *Oeconomias æternæ Redemptionis*, sit vel *Principalis*, vel *Minus principalis*: illa dicitur *prima*, quæ ratione *causalitas* ad alium, quam ad Deum referri nequit (1) quia totum hoc caput ad Deum primario refertur, (2) quia cuncta *beneficia* spiritualia non possunt ad alium, quam ad ipsum Deum referri. (3) quia non potest alius esse *redemptor*, qui nos *redimat* à divina *justitia*, vel *severitate*, à divina *ira*, vel *infinita*, propter contumacem legis transgressionem, *indignatione*, à divina *comminatione*, Gen. II. 17. à divina, vel *æterna penarum destinatione*, &c. præter solum Deum. (4) quia nec alius potest esse *præcognoscens*, vid. *ab æterno*, quam solus Deus, cum nec ullus præter Deum ab æterno *veram existentiam* habuerit, nec ullus per *æternam sapientiam*, ab æterno, præter Deum, *Mysteria salutis præcognoverit*, nec ullus præter Deum ex *præcognitione decreta salutis fecerit*, atque *definierit*. (5) quia non potest alius, præter Deum, esse *manifestans tanta redemptionis, & salutis mysteria*, nimirum per *Verbum Dei*, quod est *semen non corruptibile*, sed *incorruptibile*, vel *æternum*, *Verbum Dei vivum*, quod *permanet in æternum*, v. 23. & 25. & hoc est *verbum*, quod *evangelizatum est nobis*, itidem v. 25. vel h. l. 20 *manifestatum novissimis temporibus propter nos*. (6) quia solus Deus est, & manet *summus ac æternus redemptionis, & salutis Oeconomus*: ergo pariter ad ipsum, tanquam *Efficientem Causam*, spectat *omnis Redemptionis Oeconomia*, non modo *temporalis*, sed etiam *æterna*.

14. Refertur autem hæc *æterna Redemptionis Oeconomia*, non inconvenienter ad Deum, (1) *ἁπλοῦς*, vel *Essentialiter*, (a) quia Dei frequenter in hoc capite mentio fit, & sic ad Deum, cum aliis
Myste-

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA.

Mysteriis, & beneficiis, etiam Oeconomia Redemptionis aeterna referatur. (2) quia quoad hanc Oeconomiam, vel etiam in eadem, primas partes expediunt Dei bonitas & misericordia, Dei veritas, & sapientia, Dei potestas, vel potentia, Dei Majestas, vel Eminentia, &c. hæc autem omnia Deo sunt essentialia, & tanquam essentialia propria, vel attributa, DEO conveniunt. (3) quia talis Oeconomia redemptionis causalia beneficia complectitur: Deus autem est una causa, vel una causalis Essentia, (5) quia Pater est Redemptor, Filius est Redemptor, Spiritus Sanctus est Redemptor, non tam temporalis, quam intemporalis, & aeternus: Pater est præcognoscens, tanquam ΠΑΤΗΡ ΠΡΩΤΟΓΝΩΣΤΗΣ ΠΙ. XXXI. 6. Filius est præcognoscens, tanquam Sapientia Patris, Prov. IIX. 1. 12. Est ipsa Veritas, Joh. XIV. 6. Spiritus Sanctus est præcognoscens, ut Spiritus cognitionis, Esa. XI. 1. Spiritus veritatis, Joh. XIV. 26. & ipsa Veritas, I. Joh. V. 6. Pater est manifestans, vel revelans, Matt. XVI. 17. Heb. I. 1. Filius est manifestans, tanquam orator & revelator ex sinu Patris, Job. I. 18. Spiritus Sanctus est manifestans, tanquam Spiritus revelationis, Eph. I. 17. Jam quæ personis omnibus communia sunt, illa communiter & essentialia dicuntur, & re ipsa habentur.

15. (2) ὡσαύτως, sic & h. l. conjunctim in Petri verbis omnes tres personæ Deitatis producuntur, ut & v. 2. sicut in præcedentibus, imprimis th. 12. demonstratum: hac vice distinctim Æternam Redemptionis Oeconomiam referimus, (1) ad Patrem, (a) paterna gratia. v. 2. (b) paterna misericordia, v. 3. (c) paterna præscientia, v. 2. secundum præscientiam Dei Patris. (d) paterna voluntate, quia redemptionis Oeconomia, non aliunde, quam ex paterna voluntate primos suos ortus trahit. (e) paterna dispositione, vel dispensatione, qualis in Patrefamilias, quoad Oeconomiam omnem, principaliter invenitur. (f) paterna prudentia, vel providentia, qua cuncta, vel etiam singula, provida sua cura præcognoscit. (g) Paternis decretis, & constitutionibus æconomicis, quæ pendent ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς. (h) paterna relatione, quia Filius dicitur hic ὡσαύτως, præcognitus: solus autem Pater prior est Filio, respectu cuius passivè consideratur, & Pater ut agens, vel præcognoscens active

active spectatur. (1) Paterna appellatione, quia dicitur *Pater*, v. 17. immediate precedente, verbotenus introducitur. Huc spectat etiam tum *redemptorum onomatopoeia*, quia *Filii* dicuntur, v. 14. sed hi *Patrem* respiciunt: tum *redemptorum obedientia* quae *Patri* respectu *Filiorum* debetur; tum *redemptorum ομιλία*, quia *Filii* coram *Patre* versantur, vel in conspectu *Patris* perpetuo conversantur, unde saepius hic *conversacionis* mentio fit, v. 14. 17. 18. tum *redemptorum reverentia*, quia *Filii Patrem* omni reverentia prosequuntur, aut prosequi tenentur: tum *redemptorum religiosa confidentia*, dum in omnibus *Filii Patrem* ex filiali confidentia colunt, & invocant, sicut dicitur v. 17. *Et si PATREM invocatis cum*, qui sine personarum acceptione iudicat: tum *redemptorum δικαιοσυρία*, quia *Pater* est *Judex*, & sine personarum acceptione iudicat: tum *filialis ευφορία*, quia *Filii* vivunt in timore coram *Patre*, v. 17. tum *redemptorum, ceu Filiorum, εφορμία*, quia *Filii* vivunt sub *Ephoria* *Patris*, & sub eadem conversantur omni incolatus tempore, v. 17. Haec & alia *Patris Oeconomiam redemptionis aeternam*, aut inferunt, aut respiciunt, quod facile patet.

16. (2) ad *Filium*, (a) quia *Filius* peculiari ratione *λυτρωτής* est, & *redemptor*, (cuius typus fuerat *λυτρωτής Moses*, Act. VII. 75.) qui *λύτρωσιν* vel *redemptionem aeternam* invenit, Heb. IX. 12. solus *εποίησε λύτρωσιν*, fecit *redemptionem plebi suae*, Luc. I. 68. vel omnibus expectantibus *λύτρωσιν* - *redemptionem*, *Jerusalem*, c. II. 38. & hoc est, quod *Petrus* attendit, dum *λυτρωτήν* hunc in verbo *ελυτρώθητε* potissimum respicit, & intendit. (b) quia dicitur *Christus* hic nominatur, qui noster *redemptor* est, in quo *redemptionem omnem habemus per sanguinem eius*, Eph. I. 7. (c) quia *Christus*, h. l. sub respectu *Agni redemptoris* introducitur, nimirum *Agni Dei*, qui portat, & tollit peccata mundi totius, Joh. I. 29, cum sit *propitiatio pro peccatis nostris*, non pro nostris tantum. sed pro totius mundi peccatis, I. Job. II. 2. (d) quia, tanquam *agnus immaculatus, & incontaminatus* suo precioso sanguine, nos redemit. v. 19 (e) quia *Christus*, tanquam *Agnus Deus*, proprio suo sanguine redemit *Ecclesiam*, Act. XX. 25. (f) quia, tanquam *agnus verus*, non *typicus*, ob nostram *redemptionem est oblativus, &*

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA.

sacrificatus, & sic non per sanguinem hircorum, & vitulorum, sed per sanguinem proprium ingressus est in Sanctum Sanctorum hic summus sacerdos, aeterna redemptione inventa. Heb. IX. 12. (g) quia, juxta v. 2. sacerdotalem, vereque satisfactoriam praestitit obedientiam Patri, carnis in diebus ad mortem usque, mortem verò crucis Phil. II. 8. (h) quia redemptionis aeternae, v. 2. fundata dicitur in effusione, vel asperione sanguinis Jesu Christi, dum, juxta Johannem, I. Epist. 1. 7. Sanguis Jesu Christi, Itri Dei, nos mundat ab omni peccato. (i) quia Christo, tanquam redemptori, per aeternam hanc Oeconomiam destinati sunt omnes nostra passiones, ut vicario jure nos ab iis redimeret, quas omnes olim propheta praenunciaverunt. v. 11.

17. (3) *ad Spiritum Sanctum, (1) quia Spiritus Sanctus hic sub Manifestante, tanquam Spiritus revelationis, Eph. I. 17. verbotenus introducitur, quoad tempora N. T. (2) quia sub Spiritu praenunciante praemittitur, & quidem tanquam praenuncians, secundum aeternam redemptionis, passiones, quae sunt in Christo, v. 10. 11. respectu V. T. quia de nostrarum animarum salute exquisiverunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in nobis gratia prophetarunt, scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, PRÆNUNCIANS eas, quae in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. (3) quia sub Spiritu sanctificante primitus introducitur, v. 2. dum, in sanctificatione Spiritus, Gratia & pax nobis multiplicatur. (4) quia sub Spiritu, nobis de caelo misso, v. 12. producitur, quae missio pariter ad Oeconomiam Redemptionis spectat, sicut Christus inquit: Expedi vobis, ut abeam (per meam passionem, & mortem, ad vestram redemptionem:) nam si non abiero, Spiritus Sanctus ad vos non veniet; si autem abiero, eum ad vos mittam. Job. XVI. 7. (5) quia Spiritus Sanctus est perpetuus, & Catholicus Oeconomus Ecclesiae, quoad omnem διακονίαν, quae τὸ πνεῦμα ἐστὶν διακονία II. Cor. III. 8 quoad omnem mysteriorum abundantiam, quae scrutatur Spiritus, & nobis revelat, I. Cor. II. 10. quoad omnem donorum copiam, & differentiam, c. XII. 3. seqq. quoad omnem ἰσχυρίαν, vel εὐχαρίαν, quia cuncta bona opera sunt fructus Spiritus, Gal. V. 22. (6) quia sanguis hic Christi per Spiritum aeternum*

num

NUM semetipsum obtulit immaculatatum DEO. Heb. IX. v. 14.

18. (3) ἰδιοποιητικῶς, sic *Oeconomia Redemptionis* peculiariter hic ad *Filium Dei*, vel ipsum *Christum*, accommodatur, (1) *quia* hic peculiariter est *redemptor*, à quo redempti dicimur. (2) *quia* *Christus aurum & argentum*, Exinanitionis tempore, vel alias possessiones Matt. II. 20. nullatenus habuit, adeoque sic *auro*, vel *argento* homines redimere non voluit, nec potuit, cum infinitæ Dei justitiæ neutiqvam argentum, & aurum sufficiant, Zephan. I. 18. *argentum eorum, & aurum eorum, non poterit liberare eos in die ire Domini: in igne Zelis ejus devorabitur OMNIS Terra.* (Sicqve pariter omne, vel aurum, vel argentum, terræ) *quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram*, consequenter omni vel *auro*, vel *argento* hominum: *aurum & argentum* pertinent ad *corruptibilia* bona regni potentia, non ad *incorruptibilia*, regni *Gratia*, vel *Christi*, seu regni *justitia*, vel ad Dei *Mysteria*. (3) *quia redemptio* verum includit *λύτρωσιν* I. Tim. II. 6. vel *ἀντίλυτρωσιν*, Matth. XX. 28. *λυτρωθῆναι* non potest fieri, vel esse sine *λύτρωσιν*, quo justitiæ divinæ satisfiat: hoc autem *λύτρωσιν* neqve *Patris*, neqve *Spiritus Sancti*, sed solius *Christi*, prout ex citatis locis apparet. (4) *quia* solus *Christus* est *agnus satisfactorius*, qui tollit peccata mundi, Joh. I. 29. (5) *quia* *socius* *Christus* inter tres personas *Deitatis sanguinem* habet: sicut enim *pueri* *communicaverunt* *carni & sanguini*, sic ipse quoq; *participavit* *iisdem*, Heb. II. 14. & sic recte dicitur, quod *Deus PROPRIO SANGVINE* redemerit *Ecclesiam*, Act. XX. 28. *quia* *complacuit* *Deo Patri*, vid. in ipso, plenitudinem omnem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, per ipsum, sive quæ in terris, sive quæ in caelis sunt. (6) *quia* *Christus* est *ωρεγενωσµένος*, in quo sumus *Electi*, ante mundi constitutionem, *Eph. I. 4.*

19. Ubi tamen observandum, quod *Christus* ad hanc *eternam Oeconomiam* non solum, quoad *Divinam*, sed etiam quoad *Humanam naturam*, causaliter, & efficienter concurrat. (1) *quia* non solus *Deus*, nec solus *Homo*, sed *θεάνθρωπος*, *Homo DEUS*, est *eternus Oeconomus*. (2) *quia* nos *agnus* redemit in tempore,

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA.

secundum Petrum: Ergo pariter *agnus* ingreditur *æternam œconomiam redemptionis*: ut enim Deus suam *Oeconomiam*, in tempore reddit exped tam, sic ab æterno voluit eam conlituere, vel disponere. (3) quia *Iesus Christus idem veri*, vel ante mundum, *hodie*, vel intra mundum, *idem & in seculis*, vel post mundum. Heb. XIII. 8. (4) quia dicitur hic *Christus*: *Christus* autem, vel unctus, *formaliter* non dicitur, quoad *Divinam* vel quoad *Humanam Naturam*, sicut etiam nos homines, quæ *fideles*, *sancti*, vel *Christiani*, I. Joh. II. 20. (5) quia vocatur *Agnus immaculatus*, & *incontaminatus*, ob Spiritus sanctificationem, Luc. I. 35. non quoad *Divinam*, sed quoad *Humanam Naturam*. (6) quia *precioso sanguine* dicitur nos redemisse, *sanguis* autem est *humana*, non *divina Natura*.

20. *Media causa triplici respectu consideratur*, (1) *ratione quidditatis*, vel *substantiæ*, sic dicitur non *aurum*, vel *argentum*, vel aliud quid ex omnibus *corruptibilibus*, sed *Sanguis*, qui est *ὀλικῶς Christi*, quo respectus habetur ad *totam personam*, adeoque non tantum est *hominis*, sed etiam *Filii Dei sanguis*, I. Joh. I. 7. *Dei proprius sanguis*, Act. XX. 28. *Ἐσθες Blut / Estes eigen Blut. ὀλικῶς Agni*, per quem dignus intenditur ad *Humanam naturam*, quæ proprie naturaliter *sanguinem* habet, sicut proprie *personaliter* ad *Deum* refertur, & eidem peculiariter per *Communicationem Idiomatum* appropriatur: *ὀλικῶς immaculati*, vel *incontaminati Agni*, qui per se nulla *culpa* scatebat, nulla *pæna* languebat, sed *nostri causa*, peccatorum ergo, cuncta suscipiebat, & sustinebat, quia peccata mundi suscipiebat, ferebat, atque tollebat, Joh. I. 29. (2) *Ratione quantitatis*, & *abundantiæ*, quia dicitur, *redempti estis*, partim *ratione multipliciū objectorum*, (a) *ad supra*, vid. ab ipsa *justitia*, vel ab *ira*, vel *vindicta Dei*; sic *ratione quantitatis* ad *superiora* tendit, & se extendit: (b) *ad intra*, quia *redempti estis à peccato*, tum *originali*, tum *actuali*, tum à peccatorum *habitu*, tum *actu*, tum *reatu*, tum *effectu*, &c. (c) *ad extra*, quia *reconciliata sunt omnia*, quæ sunt in terris, & in cælis, inter creaturas: (d) *circa nos*, totus mundus & omnes creaturæ nobis favent in Christo, cuncta reconciliata sunt per *sanguinem crucis ejus*, Col. I. 20. (e) *ad infra*, quia *Diabolus*,
cum

cum omnibus subterrestribus Spiritibus, Phil. II. 10. per *sanguinem* hunc vici, Mors, infernus, & omnes hostes spirituales superati, nobisque sublatis, I. Cor XV. 55. nos ab his omnibus redempti, vel erepti, de potestate tenebrarum, & in regnum filii dilectionis Dei Patris translati, Col. I. 13. in quo habemus redemptionem per ipsius *SANGVINEM*, remissionem peccatorum v. 14. partim ratione multiplicum subjectorum, quia tanta sanguinis abundantia, vel redemptionis eius amplitudo, quoad hoc sanguinis λύτρον, ut hoc λύτρον non pro uno, nec pro paucis, nec pro multis, nec pro plerisque, sed potius pro OMNIBUS hominibus sit solutum, & iustitiae divinae persolutum, I. Tim. II. 6.

21. (3) Ratione *qualitatis*, & *excellencia*, quia dicitur τιμιον αἷμα, non vilis & ignominiosus, sicut aestimabatur à Pontio Pilato, Herode, Judaeis. Militibus, tempore passionis; sed sublimis, & preciosus, non stupidus, sed lucidus, plenusque veritatis, & lucis, Job. I. 14, 14. non odiosus, sed gratiosus, imò gratia plenus, ibid. non rigore frigidus, & mortuus, sed amore, vel ardore fervidus, vivus & vivificus Sanguis, I. Job I. 7. Τιμιον dicitur hic sanguis (a) ratione Dei, quia tanquam λύτρον eum accepit pro omnibus hominibus, pro omnium peccatis, atque panis, (b) ratione Christi, quia θσαυρωμα, vel Christi sanguis, ut dicitur h. l. (c) ratione nostri, quia pro nobis omnibus est precium, (d) ratione bonorum Angelorum, quibus volupe dicitur in hoc mysterium sanguinis ὀρακυσαι, prospicere, vel oculis fixis introspicere, h. l. v. 12. (e) ratione Diabolorum, quia sanguis hic superat omnem Diabolorum calliditatem, & astutiam, omnem Diabolorum fortitudinem, & potentiam, omnem Diabolorum velocitatem, & vigilantiam, omnem Diabolorum aetivitatem, & ἐνέργειαν. &c. (f) ratione creaturarum omnium, quia per *SANGVINEM* Crucis Christi nobis omnia reconciliata sunt, sive quae in terris, sive quae in caelis. Col. I. 20. &c.

22. Haecenus de *Causa principalis*; *Minus principalis*, quae *Secunda* quoque dicitur, etiam suo modo refertur ad hanc *Oeconomiam*, non equidem quoad externum statum, sed quoad internum

DE ÆTERNA REDEMPTIONIS OECONOMIA.

intuitum, non ratione *sui*, sed ratione *Dei*, non quoad *temporalem executionem*, sed quoad *æternam constitutionem*, &c. & dicitur vel *Instrumentalis*, nim. *Dei Verbum*, ad quod respectus habetur, sicut patet ex v 23. 24. 25. Et alias omnis *Oeconomia Dei*, per *Verbum ejus*, nobis manifestatur, demandatur, commendatur, communicatur, multisque modis aliis, nostris mentibus, & cordibus, implantatur, cum sit incorruptibile *semen*, vel *æternum*, quod etiam in nobis *spiritualiter* omnes generat *Oeconomias æternas*.

23. Vel *Ministerialis*, siquidem *Deus ab æterno* constituit, per *Ministerium Ecclesiasticum*, suas æternas *Oeconomias* annunciare, propagare, communicare: qua de causa *Spiritus Sanctus* etiam per *Apostolum Petrum*, h. l. *Redemptionis Oeconomiam æternam* prædicari, consignari, communicari voluit, ut ad omnem posteritatem, ad omnia secula, ad omnia loca, summo cum fructu, studiose propagaretur, & explicaretur.

14. Hucusque vidimus *Causam Efficientem Oeconomias Redemptionis æternæ*, nunc ad *Causam Materialem* digredimur, quæ rigoroſe sic dictam *Materiam* non admittit, cum hæc *Æternitatis Oeconomia*, sit *Deitatis Oeconomia*, *simplicitatis Oeconomia*, *puritatis Oeconomia*, &c. quarum neutra *Materiam* propriè dictam admittit. Quoad *rationem Materialem* ex qua, varia notare possemus, hac vice saltem *partiales respectus exegeticos*, ex textu quasi, *materialiter* introducimus, tum quod *negative* non sumus *redempti*, (1) per *Aurum*, quod aliàs dicitur nobilissimum metallorum, ad emtionem, & redemptionem communiter adhiberi solitum. (2) neq; per *argentum*, quod priori proximum, & satis etiam preciosum, ac in emtionibus, & redemptionibus usitatum. Sed hæc redemptio, vel hominibus consveta, vel inter homines recepta, nullum eorum Deo locum invenit, sicut superius ex *Zephania c. 1. 18.* notavimus: *Tum*, quod *affirmative* *precioso sanguine redempti sumus*, ubi notamus hujus materix, (1) *quidditatem*, quæ consistit in *sanguine*, dum hominis vita dicitur in sanguine passim apud *Mosen*: *nam homo mortem*, propter legis divinæ transgressionem, meritus erat, *Gen. 11. 17. vitam igitur, cum vehiculo suo, vel sanguine pone-*

EX I. PET. I. v. 18. 19. 20.

re, mortem autem ipsam sufferre debebat, quia λύτρον, vel *precium redemptionis*, Christus pro hominibus peccatoribus solvere volebat, cum primis, quia *sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum.* Heb. IX. 22. (2) *Quantitatem*, ita simpliciter sanguis allegatur, omnis igitur sanguis connotatur, quia, juxta decretum divinum, neque sufficiens erat una gutta sanguinis, neque multae guttulae, quales jam in circumcissione fuerant effusae: sed requirebatur *omnis sanguis*, quia noster Mediator vitam pro nobis dare debebat. (3) *Qualitatem* sic dicitur τίμιον αἷμα *preciosus sanguis*: tantum siquidem est huius sanguinis precium, ut illud nulla mens creata suis cogitationibus allequi, nulla lingua suis sermonibus persequi, nullum aestimium ullo valore consequi valeat: uno verbo precium huius sanguinis est incomprehensibile, ineffabile, inestimabile, quia precium simpliciter infinitum est. Sanguis non ψιλανθρώπινος, sed θεανθρώπινος, id est *proprius Dei sanguis.* Act. XX. 28.

25. *Materia in qua, vel Subiectum*, respectu duplici producitur, (1) ὀλικῶς, nomine Christi, quod personale Nomen est, & utramque naturam involvit, tam ungentem Deitatem, quam unclam Humanitatem, quia totus θεανθρώπινος est redemptionis Subiectum, quoad utramque Naturam. (2) ὅλην ὀλικῶς, nomine Agni, quod equeidem concretum est, non tamen personae, sed Naturae, magis determinatum, dum ab Humana Natura petitum, quae ratione Sanguinis dicitur primum, immediatum, proprium, & adequatum Subiectum.

26. *Materia circa quam, vel Objectum, duplex dicitur*, (1) personale, quod Nos homines sumus, dum circa nos homines redimendos Christus versatur, quod objectum consideratur, (1) ratione quidditatis, dum veri hic intelliguntur Homines, quales erant illi, quibus inscripsit hanc Petrus Epistolam: & illi, propter quos scripsit Epistolam. (2) ratione quantitatis, sic indefinite loquitur, & objectum universale notare dicitur, Vos scilicet Omnes, estis redempti, (3) quoad qualitatem, sic intelliguntur corrupti, vel peccatis ligati, Diaboli captivi, vel qui sunt vanae conversationis, omnes Adae posterii. (2) Reale, quod est vanitas, in abstracto, ματαιότης & vanitatem amantes, à scopo semper aberrantes, ἀμαρτήσαντες, peccantes homines, & omnis vana, vel peccans conversatio, omnis vita vana, vel peccaminosa, quae
lan gves

DE ÆTERN. REDEMT. OECÓN. EX I. PET I. v. 18 19. 20.

langvet in vana nostra conversatione, non divina, sed humana, vel paterna traditionis, cum primis Adami, respectu cuius peccata vere sunt paterna, vel Adamice traditionis.

27. A Materia nos recipimus ad Formam, quæ consilii, juxta Petrum, in æterna Precognitione, quia Christus vocatur *ἄριστος* & redemptor, Precognitus ante constitutionem mundi. Hæc autem Oeconomica Precognitio, non est nudæ cognitionis, sed veræ dispositionis, non nudæ speculationis, sed veræ pariter operationis, non tantum νοητικῆς, vel solius cogitationis, sed etiam οἰκονομικῆς, vel prudentis dispensationis, adeoque dicitur, (1) divini conspectus, quia Deus ab æterno vidit Redemptionis œconomiam, tanquam παντίπλης. (2) divini intellectus, quia Christus dicitur à mente divina *ἄριστος* &, precioso sanguine nos omnes redimens. (3) Divini affectus, dum verba notitiæ, juxta scripturam, etiam effectum connotare dicuntur; adeoque summo commiserationis affectu nos Deus ab æterno persecutus, ut Redemptorem nostrum non modo prævideret, sed etiam affectu paterno nobis de Redemptore provideret. (4) Divini effectus, quia firmissimo decreto constituit ab æterno, per sanguinem preciosum agni immaculati & incontaminati nos redimere: nam verba notitiæ pariter effectus connotare deprehenduntur.

28 Denique Finem addimus, quia tum Redemptorem, tum Redemptionem in hæc Oeconomia practicè præcognovit Deus propter nos, UT & propter nos temporibus novissimis manifestaretur, nim. per Evangelium, & ut inde vera fides nobis contingeret, & ex vera fide salus ipsa penderet, sicut Apostolus hoc in præcedentibus indicat, in primis v. 4, 5. seq. ut & v. 9.

29. Addimus etiam breviter hujus Oeconomias Redemptionis æternæ, quoad proprietates, Eminentiam, quoniam dicitur (1) Certissima, quia scientiæ, (2) Ordinatisima, quia divinæ Oeconomias. (3) Preciosissima, quia superat aurum & argentum, & omnia preciosa. (4) Durabilissima, quia non tantum æterna, sed etiam incorruptibilium rerum. (5) Efficacissima, quia nos efficaciter redimit. (6) Purissima, quia est immaculati & incontaminati sanguinis, & Agni. (7) Evidentissima, quia manifestata. &c.

Coll. Diss. A 167, Misc 45